

35. 8. Juxta mensuram hereditatis sue dabitur. Hebraicè, juxta mentem, secundum os. Isai 30. 2. Os meum non interrogastis: id est, voluntatem meam non quaesistis. Osee 10. 12. Metite in ore misericordiae: hoc est, ad voluntatem misericordiae, quantum misericordia voluerit. Sic etiam dicitur persepè in scripturis divinis percutere in ore gladii: id est, quotquot gladii fatis inexpleribus volebat necare: ibi enim os gladii nec solum aciem significat, sed aptiori sensu, voluntatem gladii: quippe scriptura sacra eam nunquam loquendi formulam utitur, nisi cum plurimi caesi sunt, factaque est strages magna, ut sapienter observat noster Ribera Osee 10. Et quidem hanc oris acceptionem significare solemus Hispani, cum dicimus: Apedir de boca, anda aqui quieres boca, pedio que vuestra boca sera medida. Quod perinde est, ac pro libito, juxta voluntatem, ex animi sententia. Sic etiam dicimus, uno ore, id est, una voluntate, & sententia. Josue 9. 2. Ut pugnant contra Josue uno animo, eademque sententia. Hebraicè est vox pe, id est, uno ore.

Quid sit percutere in ore gladii.

Os pro precepto, pro imperio.

Deuter. 34. 5.

Genes. 41. 40. Pl. 2. 12.

Primogenitus pro unigenito.

S. Hiero.

S. Damaf.

297 Huic assimilis est alia oris acceptio, pro precepto, seu imperio. Job 39. 27. Numquid ad preceptum tuum elevabitur aquila? Hebraicè; ad os tuum. 4. Reg. 23. 35. Juxta preceptum Pharaonis. In Hebraeo, juxta os. Et saepe quod Hebraicè est os Dei, vertitur à Vulgato imperium. Celebris est locus Deuter. 34. 5. Mortuus est Moyses jubente Domino. Hebraei communiter vertunt; super os Domini, vel juxta os. Philo; secundum os Domini. Nonnulli putant allusionem fieri ad veterum morem, jubentibus enim aliquid Principibus, os eorum deosculabantur in signum obsequii, & obedientiae, acceptionis, impletionisque mandati. Unde Gen. 41. Ad tuum oris imperium cunctus populus obediit. Hebraicè; ad unum os osculabitur. Et Pl. 2. Apprehendite disciplinam, id est, obedite, subditi estote. Hebraicè, Osculamini filium, Propterea, jubente Domino, dicitur Moyses mortuus, seu in osculo Domini: quia libenter Deo obtemperans, & ex mandato illius mortem subit. Unde sequitur; & sepelivit eum, ipse Dominus. Vel, ut Hebraei volunt, ipse se inclusit in speluncam, ubi mortuus est.

298 Rursus, vox illa primogenita premissa est, ne nobis deinde negotium facessat. Et enim nomen primogenitus in literis inspiratis, imò & in utroque Jure, & juxta Ecclesiae Doctores, solet usurpari dupliciter. Primò in absoluta significatione, pro unigenito filio, ante quem nemo alius natus sit, etiamsi nullus post eum nascatur, nec nasci expectetur. Sic praenotarunt S. Hieron. contra Helvidium: Primogenitus non tantum post quem alii, sed ante quem nullus. Et S. Damaf. lib. 4. c. 15. Vox primogenitus, primo quidem aliquem genitum esse declarat, non tamen necessariò alios quoque postea genitos esse indicat. Claret hoc ex Exodi 13. 2. & c. 34. 19. ubi aperte definitur, illum esse primogenitum, qui primus erupit à vulva. Vide S. Hieron. memoratum. Sic etiam Baldus in l. 2. col. 1. C. de jure emphyt. definit primogenitum esse, quem nemo antecedit. Et idem in l. cum antiquo. col. 4. ver. Et primò praemittit. C. de jure delib. scribit, quòd primogenitus idem est dicere, quòd primò natus, qui primò vidit lucem. Qua de re videndus est Tiraquellus de Jure Primogen. q. 1. n. 6. qui de.ica. è

etiam observat, non mirum esse, si primum de uno dicatur, cum è contra unum pro primo, non semel poni soleat in sacra Pagina. Genes. 1. 5. dicitur dies unus, id est, primus, postea mentio fit diei secundi. Et c. 2. 11. nomen unius Phison, id est, primi; nam sequitur; nomen secundi Gebon. Marci 16. 2. Luc. 24. 1. Joan. 20. 1. Unasabbatorum. Graecè, primus dies. Unde Matthaeus 28. 1. posuit, in prima sabbati. Ergo commode satis, primus de uno dici poterit. Quo fit, ut primogenitus saepe pro unigenito usurpetur.

Primum de uno dicitur sicut unum de primo.

Luc 2. 7.

299 Hinc Luc 2. 7. dicitur de B. Virgine Christum enixà: Peperit filium suum primogenitum; non quia alios filios naturales Deipara genuerit; sed quia unus, unigenitus, primus ex ea natus est Christus, & ante illum nemo alius. Vide ibi Toletum nostrum; & ad c. 1. Matt. v. 25. Maldonatam. Sic etiam Christus Dominus quia Deus est, & quia homo, saepe dicitur primogenitus. Eccles. 24. 5. Pl. 88. 28. ad Colof. 1. 15. & v. 18. ad Roma. 8. 29. ad Hebrae. 1. 6. Primogenitus omnis creaturae: seu in multis fratribus: non quia Pater aeternus, aut Deipara Virgo filios alios naturales habuerint; sed quia quatenus Deus, ab aeterno prius genitus est Christus Dominus quam, creaturae sint creatae, & quia quatenus homo, primus omnium praedestinatorum fuit caput, & princeps in decretorum Dei, ac praefinitionum serie. Ut enim S. August. in Hom. de Circum. Domini. Christus ideo primogenitus appellatur, quia ineffabiliter ante saecula, & omnem creaturam, sive in caelo, sive in terra, & ante omnem principatum principum obinet. Vide S. Ambrosium in Epist. ad Colof. c. 1. v. 15.

ad Hebr. 1. 6.

S. August.

300 Vox item primogenitus solet etiam accipi in relativo significato, pro filio scilicet, cui frater, vel fratres alii succedunt. Et haec est frequens usurpatio; cujus innumera extant testimonia. Vide Tiraquellum de Jure Primogen. q. 1. à n. 7. ubi etiam notat, majorem, & primogenitum idem significare, etiam in sacra Scriptura. Genes. 19. & c. 27. & c. 29. Unde Hispani quoque vulgò primogenitum, majorem appellamus, & jus primogeniturae majoriam, majoratum, sive majoritatum. Et quidem vox major relativa est ad minores fratres succedentes.

Primogenitus, cui alii fratres succedunt.

Sensus, verborum.

301 Jam ergo, haec verba, Ego ex ore Altissimi prodivi, &c. variè à variis interpretantur, juxta ea, quae retulimus supra. Janfenius accipit de Sapiaentia Dei essentiali, putatque primogenitam appellari ante omnem creaturam, quia ante omnia in Deo subsisterit. Ceterum hoc propriè non est esse primogenitam, sed potius ingenitam, & permanentem. Arridet itaque illorum mens, qui existimant, sermonem hic esse de Christo Domino, & quia homo, & quia Deus est; ut superius statuimus. Nam quia Deus est, sapientia extat notionalis, & filius unigenitus, & primogenitus ab intellectu divino Patris aeterni, tanquam Verbum ex ore, & ex corde procedens, Patri coaeternus, & consubstantialis. Quia verò homo est, filius est etiam Dei naturalis; cum una tantummodò in illo extet personalitas, & persona, humanae naturae unita: atque adeò ex ore Altissimi dicitur procedere ut vox, ut sermo ex ore, & ex corde: quod sensibilitatem quamdam, & manifestationem praese fert propriam humanae naturae à Verbo assumptae. De quo latius dicemus infra in illustratione textus. Ubi etiam ostendemus, qua ratione haec eadem Siracidis verba in Virginem Matrem

Matrem cadant perquam aptissime in sensu literali secundario. Minus apta est illorum sententia, qui hunc locum generativum & simpliciter accipiunt de Sapiaentia divina creaturis communicata, quae ab aeterno in mente Dei tanquam in utero latuit, & per rerum creationem se manifestavit.

perit septem, defecit anima ejus, occidit ei sol, cum adhuc esset dies. Sermo est de viduae calamitate, quae cum splenderet suscipiendo plurimos ex marito filios; occidit ei sol, id est, maritus in meridie, cum adhuc multò plures procreare filios posset: & mansit sterilis, quasi sole generante occumbente sibi. Huc jam videntur spectare sancti Patres, & Doctores; qui solem vocantes Dei simulachrum; illum assumunt ad significandas processiones in divinis. Adfunt siquidem (ajunt illi) tria in sole limpissimo siderum, Jubar, Radius, & Lux. Origine quidem prius est sol, sed nunquam sol sine Radio, nec Radius sine Luce emicat. Ita cum Pater sol, Filius radius, Spiritus lux dicantur; radius à sole est, filius, scilicet à Patre; lux à sole per radium; id est, Spiritus S. à Patre, & Filio, sed eadem aeternitate omnes praeditos esse credendum est. Vide Nice-tam in orationem 2. S. Nazianzen, S. August. in Joan. tract. 20. Lactantium lib. 4. c. 24. de sapientia; & Psal. 109. 3.

Sol aeterni Patris simulachrum.

Textus elucidatio.

De Christo Domino, quod Deus est.

SECTIO I.

Christus à Patre procedit ut Sapiaentia, ut Verbum, ut Imago, ut Sermo, ut vox à mente, à corde, ab ore.

302 Verba haec, Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam, sunt planè apud Theologos, sacrosque enarratores plausibilia ad firmandam, illustrandamque divini Verbi aeternam generationem, per quam ab intellectu paterno prodit, ut sapientia notionalis, & personalis. Quapropter piaculum duxi ab hac interpretatione discedere; quia etiam reor, ad priorem, & principalem illorum verborum litterarium sensum, eam spectare; suffultus praesertim (ut alios interim taceam) Sixti Papae II. auctoritate Epist. 1. ad Gratum Episcop. quae habetur post Carthaginense Concil. to. 1. nec non S. Ambrosii lib. 1. de Fide c. 7. & lib. 4. c. 4. & lib. de divini. Filii c. 2. & 6. cujus verba commodius infra donabo.

303 Et quidem eo tenore verborum aequè pulchrè, ac propriè infinita aeternae generationis perfectio, tum ut Patrem genitorem, etiam ut Filium genitum respicit, nimio opere commendatur. In primis Altissimum nomenclatura aeternum Patrem indigitat, primam Triadis Personam: est enim Altissimus unum de decem Dei nominibus, quae S. Hieron. explicat Epist. 136. Hebraicè Helion, quod Vulgatus reddere solet Altissimum, seu Excelsum. Graecè ΠΥΣΤΟΝ; Drusius vertit; Ego ex ore supremi. Proprium Dei nomen Altissimus, quo nihil excelsius, sive majestare naturae, sive loco, & regno supra sidera: Extra flammantia regna mundi longissime à mentibus orbium caelestium: ut ait Aristoteles. Subinde David Psal. 82. 19. Tu solus altissimus in omni terra. Ubi S. Hieronymus: Erigat se qui vult; nos dicamus: Tu solus altissimus: quantumvis quis exaltet, nos habemus Deum, cui excelsus nomen est. Cum autem à voce Hebraea Helion, petritum nomen Hæus sit, quod solem significat, non tam loco, & situ, quam vi, & efficacia altissimum: hinc, ni me fallo, vox Altissimus praese ferre videtur divinam Paternitatem, & facultatem aeterni Parentis generativam. Et enim Pater continua generatione familiarum conservans, Sol appellatur in sacris litteris Genes. 37. v. 9. & 10. Unde S. Chrysof. Ser. 1. aiebat: Sol Patris rutilat in vultu. Et sol, inter alia nomina, quibus in lingua sancta gaudet, dicitur semes à samar, id est, à conferendo, seu generando, quòd quasi Pater cum terra coit, eamque fovet, foecundat radiis, & calore suo ad proferendam semina. Ideò sponsum solum appellat Regius Cantor Ps. 18. 7.

Altissimus voce aeternus Pater significatur.

nby

Aristot.

Pl. 82. 19.

S. Hiero.

Sol Patris genitor, sponfus.

Chrysof. ωωω ωωω

Jerem. 15. 9. Hinc Jeremias 15. 9. Infirma est qua pe-

304 Dicit ergo Sapiaentia Dei Incarnata; se ex ore Altissimi produsse. Quibus verbis Patrem se habere profiteretur, non mutum, & elinguem, sed uno Verbo omniloquentem, & intellectualem substantiam, ex cujus mente formatur, & prodit ineffabili modo verbum mentis, uti ex ore vocale verbum. Audi S. Athanasium in 3. Serm. gestorum Niceni Concilii, & apud Doctorem Angelicum Opuf. 1. adversus Graecorum errores c. 7. Dicunt (Arian) sterilem esse, & infructuosam naturam paternam; quae omnibus rebus insitam, & propagativam similitum dedit naturam. Et mutum faciunt Patrem, & sine Verbo, qui omnibus rationalibus facultatem dedit loquendi. Certè, Deus cum sit substantia intellectualis omnium viventium nobilissima, infinite perfecta & summo opere foecunda, intelligat necesse est; quod si intellectu praeditus, ore etiam intendo, lingua, & labiis, quibus internè loquatur, sermocineturque, perfruitur omnino.

Nil mutum natura dedit, non aëris ales, Quadrupesve silent, habet & sua sibila serpens. Cymbala damictu sonitum, dant pulpita salu Taeta pedum; tentis reboant cava tympana tergis.

Aufoni Nil mutum in natura, Ergo nec natura auctor mutus eris.

Canebat pulchrè Aufonius ad Pauhum scribens, Paulum secutus, qui 1. ad Corint. 14. 10. Et nihil sine voce est: id est, nulla gens, nullus sermo, nullum instrumentum, nulla res sine voce; omnia sonantia sunt, & loquentia. Quasi ad creaturarum rerum perfectionem spectet, nullam mutam, & elinguem extare. Non ergo deneganda illarum opifici, & creatori Deo interna loquutio.

1. Cor. 14;

305 Quòd facit illud Exodi 4. 10. ubi cum Moyles impeditoris, & tardioris linguae se esse profiteretur, detrectans legationem ad Pharaonem, sic ad illum Dominus: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum, & surdum? nonne ego? Hebraea sonant: Quis posuit, & disposuit os hominis, singulari arte & studio? Ego quidem qui loquendi facultatem indidi, uti sapientissimus humani corporis architectus, & loquendi primus, supremusque magister. Ergone mutus, & elinguis ero? Perge igitur; ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. Et sanè si quis Deum attendat, humani oris fabricae intentissimum,

Exod. 4. 10.

Sap. 7. 16. In manu illius & nos, & omnes sermones nostri. Et Eccles. 17. 5. Concilium (id est, vim cogitandi & deliberandi) & linguam (id est, loquendi potentiam) dedit illis. Ut quod mens per consilium deliberavit, id lingua excipiat, proferat, aliisque communicet. Unde sicut solis hominibus data est lingua, sermo- lium, ita & illis solis data est lingua, sermo- que articulatus. Si ergo in Dei potestate vo- cis internae & externae formandae, sermoci- nandi facultas est, hac ipse facultate carebit cum locutio interna sit intellectualis operatio absque imperfectione. Simili argumento, etsi dissimili metaphora Deus Pater apud Isai. 66. 9. aiebat: Numquid qui alios parere facio, ipse non pariam? Et qui generationem ceteris tri- bus, sterilis ero? Ore igitur aeternus Parens utitur, intellectiva videlicet facultate, qua intelligat, loquatur, filiusque prodeat geni- tus. Illi utique decus, lingua regnumque lo- quendi concedendum, ut dicebat Manil. lib. 4. c. 3. qui etiam regnum oris sapientibus Athe- nis adscribebat. 306 Rursus, haec ipsa verba, Ego ex ore Altissimi prodivi, multipliciter aeternam Filii nativitatem commendat, juxta multiplicem prodeundi ab ore paterno rationem. Enimve- ro cum oris metaphora (ut supra diximus) pa- ternum intellectum designet, dicendum in pri- mis, ex eo quod secunda Triados persona ex ore Altissimi prodeat, prodeat omnino ut sa- pientiam genitam, notionalem, seu personalem, immediate, non a natura divina, sed ab ore, id est, intellectu paterno. Sic enim apud Eccle- siae Patres, & Doctores Theologos Sapientia multoties supponitur pro ipsa persona Filii, ut videre est in egregio, immensaque eruditio- nis de Trinitate opere nostri Didaci Ruiz dis- put. 58. sect. 4. firmaturque nostri Ecclesiasti- ci verbis, ubi aeterna Sapientia de se ait: Ego ex ore Altissimi prodivi, &c. Et quemadmo- dum fluentem sermonis, quod ministerio linguae ad exteriora deducitur, fontis, ex quo manat, index, & testis est; ut eleganter loquitur S. Ba- silius lib. de vera Virginit. sic aeternus Filius a Patre genitus index extat, & testis paternae Sapientiae; Paterque ipse hac una Filii nativi- tate quam sit infinite sapiens, abunde manife- stat, cum illud gignendo, omnia intelligat, & comprehendat hoc unico Verbo: ut enim Si- racides noster cap. 20. 29. Sapiens in verbis producet se ipsum. 307 Secundò, eo ipso quod procedat Fi- lius ex ore Altissimi, procedit ut aeterni Pa- rentis imago, in qua veluti in speculo geni- tor ipse conspicitur. Quod delicatè particu- la illa, ex ore, designatur: verbum enim ex ore procedens expressa ad vivum est loquen- tis imago; & ut Cassiodorus ait lib. 5. Varia. in 22. Est quoddam speculum morum, nec ma- jus potest esse mentis testimonium, quam qualita- tis inspecte verborum. Quod de aeterno Ver- bo potiori jure praedicatur Sapi. 7. 26. Spe- culum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Quò spectat S. Basil. Hom. 16. ad id Joan. 1. In principio erat Verbum, ubi eam reddit rationem, cur Filius sit Ver- bum: Quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem. Quò exemplo illustrat creati verbi ore prolati: Quae enim secundum

Isai. 66. 9. Deo inest decus lin- gua, re- gnumque loquendi.

Manil.

Verbum di- vinum ex ore Patris lo- quentis ut vox interna, ut sapientia.

S. Basil.

Verbum ex ore Paterno imago geni- toris proce- dit.

Cassiodo.

Sap. 7. 26.

S. Basil.

cor novimus, hac verbo proferimus, & quod loquitur, exemplar habet ejus, quod corde cogitamus. Ecce qua ratione verbum ex ore sit exemplaris sui spirans imago. Seneca pro- inde in Proverb. Imago animi sermo est; qua- lis vir, talis oratio. Quam ergo bonus sit aeternus Parens, quam sapiens, quantaque sit ejus majestas, unus ostendit Filius ex ore il- lius procedens. 308. Tertio, ea Filii processio ex ore Al- tissimi, suadet, illum procedere ut aeterni sui Patris Verbum. Quod S. Ambros. lib. unico de Filii divinitate c. 6. rectè intulit: Hoc Ver- bum nuncupatur, quia ex proprio divino ore processit, & nihil Pater sine eo aut jussit, aut fecit. Huc spectant plura sacrae Paginae, & SS. Patrum testimonia, videnda apud nostrum Didac. Ruiz à Disp. 55. ad 58. Illa dumtaxat verba expendas ex Pl. 44. 1. Eructavit cor meum verbum bonum. Aeterni Parentis verba sunt ex multorum calculo. Quibus mirè con- sonat Siracides noster, juxta memoratam su- perius translationem Agnelli: Ego ex corde Al- tissimi prodivi. Utique ut Verbum bonum, di- xeris ut Deus: nam ex bono corde, & ore bonum Verbum: tale verbum, quale cor, & os prolatoris: Cada uno habla como quien es. Cum ergo aeternus Pater sit Deus summae bo- nitatis, & sapientiae, verbum proferat neces- se est adeò bonum, & sapiens, ut ipsum etiam evadat Deus genitori aequalis, qui summam prae se ferat Parentis bonitatem, & sapientiam. Subinde arguè S. August. ad illa Davidis ver- ba: Ergo verbum bonum: & ipsi Verbo dictum est, Magister bone: & ipsum Verbum respon- dit: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi solus Deus. Dictum est, Magister bone: & dicit: Quid me interrogas de bono? Addit etiam, nemo bonus, nisi solus Deus. Quomodo ergo ip- se bonus, nisi quia Deus? Non solum Deus, sed cum Patre unus Deus. Sed illud extat in- ter nostrum verbum, & divinum, discrimen; quòd nostrum, utpote imperfectionibus ad- mixtum, menti nostrae non aequatur, sed est accidens quoddam vitalis, actus videlicet in- tellectus, quo rem concipimus, & intelligimus: at verò aeternum verbum perfectissimum est, Deoque omnino adaequatum, persona scilicet subsistens & producta. 309. Quarto, ex Paterno ore prodire di- citur Filius, quia ut sermo prodit, & locutio. Unde Camerarius effert Siracidis verba, Ego Sermo sum Dei. Sermo enim est oris partus, & in divinis terminus productus per intellectio- nem. Quapropter Dei Filium rectè posse ap- pellari sermonem ex ore Dei prodeuntem, li- quet ex inspiratis litteris & Doctoribus. Vi- dendi nostri Salmeron, Toletus, & Maldo- natus ad cap. 1. Joan. & P. Didacus Ruiz, de Trinitate disp. 55. sect. 5. Atque Sap. 18. 14. & ad Hebrae. 4. 12. divinum Patris Verbum Sermo appellatur. Imò Hebraea vox dabar est sermo, verbum, eloquium: & Graeca λόγος, quae solet veri Verbum, significat etiam sermonem. Quam lectionem saepe retinent antiqui Docto- res. Tertull. adver. Praxeam c. 5. 7. 8. & 11. Eructavit cor meum sermonem bonum. Pl. 44. 1. & Pl. 32. Sermonem Domini caeli firma- ti sunt. Et Isai. 10. 23. Sermonem abbrevia- tum faciet Dominus super terram. Et Joan. 11. In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Vide S. Cyprian. lib. 2. contra Judae. c. 3. & 6. & Tertull. lib. de oratio c. 1. Concinit S. Gregor. Na- zian.

Imago ani- mi est sermo. Seneca.

S. Ambros. Ex ore Pa- tris procedit Filius ut Verbum.

Pl. 44.

Agnellus.

Tale verbum, quale cor & os prolatoris.

S. August.

Filius ex ore Patris ut sermo aut locutio.

727

Pl. 44. 1.

Isai. 10. 23.

Joan. 1. 1.

S. Nazian.

s. Nazian. Concinit S. Gregor. Nazian. Carmine 2. in Arcanis. — à magno pendetque Parentis Editus ex illo Sermo, qui temporis experts, Effigie in sese Patris exprimit, undique & illi Pat est natua, Deus ingens Filius. Constan. Constantinus Manasses in Annalibus: Perfe- ctus ille Dei sermo rerum opifex omnium. Et S. Synesius Hymno 4. Sermo, quem magno Cum Pater cano. Mens ineffabilis Parit te Patris: Et tu conceptus Sermo es Patris. His adjuuge locutionis vocem, quam Filio ex paterno ore procedenti Patres attribuunt. Unum audias S. Fulgentium lib. 3. ad Trafi- mundum c. 18. Non tunc nata est Christi di- vinitas in se, cum nata est pro nobis in carne. Fuit infans Verbum secundum carnem, & fan- di non habuit facultatem: sed idem Verbum Deus, nullo unquam potuit cohiberi silentio, quia ipse est Patris sempiterna locutio. 310 Quintò, ea oris metaphora suadet, posse Dei Filium metaphoricè appellari vo- cem Patris. Plato (ut scribit Plutar. lib. 4. de placitis Philosoph. c. 19.) vocem definit, spiritum per os à mente ductum. Observatque c. 20. Platonem ipsum, Pythagoram, & Aristotelem existimasse, vocem esse incorpoream. Id quod in Verbum divinum verissimè cadit, quod est vox purè spiritualis, & incorporea, à mente divina quasi per os deducta. Par- co multis Sanctorum ad rem nostram effa- tis, uno contentus sum Lactantii Firmiani scriptoris sapientissimi, & antiquissimi testimo- nio lib. 4. de vera Sapient. c. 8. Cum enim ex- penderet Dei Filium esse Parentis sermonem, & Angelos esse Dei spiritus, ita loquitur: Sed tamen quoniam spiritus, & sermo diver- sis partibus proferuntur; siquidem spiritus na- ribus, ore sermo procedit; magna inter hunc Dei Filium, & ceteros Angelos differentia est. Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt, qui non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad mi- nisterium creabantur. Ille verò cum sit & ip- se Spiritus, tamen voce ac sono ex Dei ore pro- cessit, sicut Verbum, èa scilicet ratione, quia vo- ce ejus ad populum fuerat usus, id est, quia ille magister futurus esset doctrinae Dei, & cae- lestis arcani ad homines perferendi. Merito igitur sermo & Verbum Dei dicitur, quia Deus procedentem de ore suo vocalem spiritum, quem non utero, sed mente conceperat, inexcogitabi- li quadam majestatis suae virtute, ac potentia, in effigiem, qua proprio sensu ac sapientia vi- geat, comprehendit, & alios nem spiritus in An- gelos figuravit. Nostra voces licet auræ misce- antur, atque evanescent, tamen plerumque per- manent litteris comprehense: quanto magis Dei vocem credendum est & manere in aeternum, & sensu ac virtute comitari, quam de Deo Pa- tre, tanquam rivus de fonte traduxerit? Haec Lactantius, quae confirmat Siracidis verbis: Ego ex ore Altissimi prodivi, &c. Nequis mi- retur (ait ille) ex Deo Deum prolatione vocis ac spiritus potuisse generari. 311 Postremò, hic observandum; Dei verbum, etsi à Paterno ore procedat ut vox; minimè tamen procedere ut vocem ore pro- latam, ut prolative, ut pronuntiativam. Sic enim definiunt plures Ecclesiae Patres, P. Ildeph. de Flores in Eccles.

& Concilia adversus Haereticos Arrianorum nonnullos. Adducit Heraldus haec ex Epi- stol. S. Ignatii ad Magnesianos: Unus Deus, est omnipotens, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum filium suum, qui est ipsius Verbum, non pronuntiatum, sed substantiale. Neque enim est articulati sermonis vox, sed divina efficacia genita essentia. Ast verò quo- niam ea prolatae vocis, seu pronuntiati Ver- bi nomenclatura, Haeretici significare vole- bant, Verbum divinum naturà esse diver- sum à Patre proferente; si hic error longè amandetur, poterit bono planè sensu dici, Dei Filium eatenus esse Verbum, sermonem, seu vocem prolatae, quatenus producitur, & procedit, non articulata ab ore aliquo corporeo; sed ab intellectu Paterno, & sub- stantia genitoris ipsa mentis operatione. At- que in hoc sensu intelligendus Tertullianus lib. 8. contra Praxeam c. 8. ubi scribit: Pro- latum dicimus Filium à Patre. Et rursus: Protulit Deus sermonem, sicut radix fructem, sicut fons fluvium. Cui consonant S. Hilar. lib. 6. de Trinit. & Ricardus de S. Victor. lib. 6. de Trinit. c. 12.

Filius est vox non ar- ticulata. S. Ignati.

Quo sensu prolatus dicitur Fi- lius. Tertull.

SECTIO II.

Sensus alter illorum verbarum: Ego ex ore Altissimi prodivi: juxta aliam oris accep- tionem pro voluntate.

312 Statuimus numero 296. os saepe usur- pari in sacra Scriptura pro voluntate. Inde lucem damus illi Theologorum quaesito; An Verbi divini generatio sit, ne- que ne? Rogaverim ego, an dici possit esse ex voluntate, ita ut de se Filius praedicet: Ego ex voluntate Altissimi prodivi? Nam hoc pro- prium esse videtur solius Spiritus sancti. Enim verò, ut obstacula removeamus, remque bre- vi definiamus; aeterna Verbi generatio ne- que voluntaria, neque ex voluntate est, si his nominibus indifferentia, & libertas, deli- beratio, & consilium significentur: neque etiam voluntaria est, neque ex voluntate, ut generandi principio. Est tamen voluntaria vo- luntate concomitante, complacente, & gau- dente. Non enim Pater Filium generavit coac- tus, ac nolens, sed omnino volens, compla- cens, & gaudens in tanti fetus generatione, & parturitione, illumque ardentissimè a- mans. Atque in hoc sensu dicitur à SS. Pa- tribus, Dei Filius ex voluntate Altissimi pro- cedere primogenitus; & voluntariam esse ejus generationem. Sic Ecclesiastici nostri verba capit S. Ambros. lib. 4. de fide, c. 4. Dicit enim Sapientia Dei: Ego ex ore Altissimi pro- divi: hoc est, non coacta, sed libera: non po- testati obnoxia, sed nata generationis arcana privilegio dominationis & jure potestatis. Atti- pulantur alii Ecclesiae Magistri. S. Clemens Rom. l. 7. Constit. c. 42. Filium ante saecula, volente Patre, genitum. S. Athan. in Evang. de sanct. Deipara ait, Verbum esse ex voluntate Paterna. Richardus de S. Victor. lib. 6. de Tri- nitat. c. 6. Filius procedit ex voluntate Paterna. Et lib. de Synodis propè mediū: Nativitatis adeò perfecta natura est, ut qui ex substantia Dei natus est, etià ex consilio ejus, & voluntate nascatur. 313 Cæterum, locutio illa, Ego ex volun- tate Altissimi prodivi, si expendatur sermo- nis proprietate, videtur significare, non so- lum

An Verbi generatio voluntaria sit, aut ex voluntate.

Voluntaria est ex vo- luntate con- comitante & complacente.

S. Clemens; S. Athanas.

Richard. Victori.

An etiam ex voluntate.